

L O TH

28

costas pulsare, si tunc decursetur? præstò nobis est responsum: obliquam à posterioribus ad anteriora, supremisque ad inferiora lineam describere, cordis axim, jam innuimus; quid si reftam, se elevaro affecter lineam? nonne costas attinget? præstò; longior enim est diagonalis, sibi opposito parallelogrammi latere. Nec rò moveat Harveyi, Borelli, aliorumque autoritas; illi namque caducis rationum momentis inducti, cor elongari scripsere; sed illud se vidisse nunquam asseverarunt. At, pergis, in Systole possunt elongari cordis columnæ. . . . Posunt elongari! . . . . hoc ridendum potius quam serio refellendum; quis enim cogitavit unquam fibras contractione actas elongari?

*Ergò in sù Systole cor decuratur.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. PETRUS JOSNET*, Antiquior Scholarum Magister.

*M. HENRICUS MACQUART*, Professor Mallius & Decanus.

*M. THOMAS LARBRE*, Professor Antonianus.

*M. LUDOVICUS-HIERONYMUS RAUSSIN*, Professor Scholarum.

*M. HENRICUS NINNIN*, Serenissimi Principis Claromontii Comitis Medicus  
Ordinarius, Professor Scholarum.

*M. PETRUS JOSNET* Filius, Professor Antonianus.

*M. DESIDERIUS LECAMUS*.


Proponebat Remis, ANNA-AMABILIS AUGIER DU FOT,  
Lemovicensis, Artium Magister, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ  
Parisienis Alumnus, Theseos Autor.

A. R. S. H. M. DCC. LXII.

## PRO BACCALAUREATU.

---

Ex Typis J. B. JEUNE HOMME, Facultatis Medicinæ Typographi,  
Viâ duorum Angelorum.



## DEO OPTIMO MAXIMO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET SANCTO LUCAE MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO. QUÆSTIO MEDICA.

*Quodlibetariis agitanda Disputationibus in Antonianis  
Medicorum Scholis, die Jovis 15. Aprilis,  
horâ octavâ matutinâ.*

Clarissimo Viro D. M. JACOBO ISAACO BERNARD,  
Doctore Medico, Professore Scholarum, Consiliario  
Medico Regis, Decano & Præside.

*An Vinum aqua dilutum mero salubrius?*

I.

 PTIMA & inculpata valetudo paucis depravato  
sæculo contingit, minùs adhuc nepotibus expectanda, si  
eodem effrænato vivendi modo utantur. Ferreο nostri  
homines indigerent corpore, ut flammæis, quos nullo  
momento hauriant, liquoribus resisterent. Sani  
tamen, vivere diu, jucundèque volunt, sed de iis, quæ  
incolumem ad ejusmodi vitam tribuunt, omnes ferè cœcutiunt, aut ipsa  
ignorare simulant; adeo nullius rei difficilior, quam rectè vivendi scientia.

<sup>2</sup>  
Hujus vitæ spatum per breve est, ac velut umbræ transitus, omnes de eo conqueruntur, sed nostræ sepius, quam naturæ culpâ. Satis longa foret, si tota bene collocaretur. Mirandum potius quo modo tandiū durare possit, cum ab hostibus ex undique continuâ ferè oppugnetur. Machinularum corporis humani tenuitas tanta est, ut, quali potentia cibi vinique luxuriem sustinere valeat, difficile concipiatur. Ad quid enim assidue compotationes quibus Juvenes indulgent? ad quid spumescientis vini ingurgitationes? nisi infidioso, ignitoque hoc nectare balsamum vitæ humidum radicale consumere. Nostræ ipsius salutis proditores sumus, & pessimo vietū genere sanitatem decoquimus. A teneris annis in vita dociles, altero alterum crudinae; hic hodie Bacchi, cras ille Veneris amplexibus ruit. Vinum quod à supremo Numine concessum est, ut pellet hominum curas, mentesque letitiâ diffunderet, in venenum convertit abusus; & quod pejus, ars naturam adjuvat in consortium necis. O curas hominum! & quantum in rebus inane. Non paratur vinum, quale priscis temporibus calcatis in cupa uvis, sed è vineis in torculum racemi citò exprimenti conjiciuntur, ut non tam vinum, quam spiritus vini species extrahatur. Sic ignis voluptuoso involutus vehiculo bibitur secundum imminentium morborum semen. Nam corporis nostri partes ex innumeris tubulis flexilibus, & elasticis, liquore distentis constant, quorum contractionibus succi in omnes partes, ut suum singulis largiantur tributum, circumferuntur. Uno verbo, ut nutrìo, sic vita in motu consistit, incipit in ovi fœcundatione, in morte terminatur; ut perennetur mollitie & fibrarum flexilitate opus habet, quæ si deficiant, vel improbis laboribus, vel generosi vini interarea comburentis haustu, illico vivifica liquidorum moles solidorum oscillationis defectu tubulos transcurrere impotens, depravabitur, fœcundaque periculorum morborum materia fiet. Hæc quotidianâ constant experientiâ, quam tamen stolidè spernimus: aliorum miseriæ somnia habentur, nec nisi propriis premuntur. Videmus meliora, probamusque, deteriora sequimur. An cœteris prudentiores tantas ex mero calamitates vitare cupitis? vitamque sanam ducere exoptatis? vinum limphatum bibite, & ut alimenta, sic potum moderata quantitate assumite.

## II.

**V**INUM, quo natura è suo penu nihil quicquam largita est præstans, quod tanquam societatis vinculum hominibus datum est, quod lac serum & sanguis terræ, quo ætate defecti juvenescunt, & vetulæ fastare compelluntur, à primis saeculis mortalibus Deus optimus concessit, ut animum in domesticis adjuvaret, voluptatis, non necessitatis potus

<sup>3</sup>  
est, sed doloſus luctator, qui si non aquâ temperetur, cor captat primùm, mox caput atque pedes. Hac ratione Nymphas Bacchi fuisse nutrices Poëtae fabulantur, ut periculo, quod ex vino potatores incurrebant, remedium docerent. Splendet quidem color ejus & quasi rubini liquefacti in cyathis nitet, & exultat, sed in stomacho assumptus mordet ut colabat, & tanquam Regulus gratum suum venenum in totum corpus diffundit. Ab eo abstinere satius foret, quam illud simorum bibere; quod enim potentius, hoc nocentius. Sapit in ore, ardet in ventre, suisque amantissimis jugulum perit. Verum non tantum corpus diversis morbis, sed etiam animum pluribus vitiis afficit merum: ita ut, si Niaphæ à Baccho separarentur, Virginitas huic usque dilecta peritura sit. In mero enim impudicitæ fœcundum semen rehidet. Quod magis illud quis diligit, eo minus pudicus vivet. Puellæ igitur illud fugiant; pueris & infantibus absolute interdicendum. Senes, quod ætate provectiones sunt, ob caloris imminationem spirituumque depauperationem ed liberalius, & magis purum bibere licet. Adolescentibus & juvenibus suave est toxicum, quo egregiè epoto eorum medullæ, velut admotis facibus, inflammatae, æthno libidinis igne æstuant; tunc placet jucundum nefas, oculi ad omnem lasciviam vagi evolant, & hostias, quod horrendum est, in fæctuariis ipsis sibi nulla non die requirunt. Vinum omnium ferè scelerum anchor; singularia certamina, latrocinia, impietates, sacrilegia, Virginum rapta, à mero tanquam à principio repetenda sunt. Qui igitur famæ & fortunæ sunt eupidi, illis merum cane pejus, & angue vitandum. Qui ad Aulas Magnatum accidunt, illud, ut insensissimum hostem reformident; Aulicorum enim fortuna in prudenti reconditor arcane: vini autem vis impudens, animi secreta profert & aperit, non continet linguam quidquid intus malum latet, meri potus largior in lucem protrudit, si quæ est corrugati pectoris plica, evolvitur; ut enim musto effervescente dolia rumpuntur, & quod in imo, in summum eructant, ita æstuante in venis mero, quidquid in animi fundo jacet, effertur & in medium prodit. Neque aliter ut in ære, cristallove vultus, ita morum atque animi in poculis reluet imago. Quis post hæc merum adeo ardenter diligit, nisi sanitatem & fortunam jugulare intendat, cum in eo nihil adsit boni præter veritatem, cui detegendæ lene tormentum est, scelerum alioqui malorumque omnium metropolis, & parens quarumlibet ægritudinum, quibus plerumque sola medeatur mors, nisi prius aquâ vino immixta omne periculum eliserit.

## III.

**U**T dupli constamus substantiâ quæ continuâ atteritur & deperritur, sic dupli indigemus alimento quod ejus dissipationem

refarciat : illud cibo & potu perficitur ; illius desiderium fames , ejus appetitus sitis est ; ut famem explet panis , sic aqua sitim extinguit : his duobus vivit homo , & diu beatèque viveret , si hæc necessaria tantum appeteret . Sed effrenata luxuriosè vivendi cupiditas hominum mentes his misericordis temporibus adeo obsecrit , ut illis mensa non sufficeret , quæ omni specie animalium non instrueretur . Non amplius sapit caro bubula , vitulina , ovilla , at quidquid animalium terras & agros pererrat in mensas extrahitur . Non mirum si mutata primorum alimentorum specie , quin imo si saginato sic cunctorum animalium carnibus , corpori formidabilis omnium morborum cohors accesserit , quæ primis temporibus non cognoscetatur , dum pane , aqua , aliisque terræ fructibus hominum vita sustinebatur . Aqua enim primum & naturale sitis allevamentum est , ea omnium animalium sitim sedat , plus juvat ad perfectam digestionem , quam cœterorum liquorum excogitatae species . Ea Rusticorum major pars robustam vitam , nullisque pravis affectibus interruptam dicit , in innocentia orbis infantia primus potus fuit , nullum aliud sitis remedium quærebatur , illa limpida & pellucida erat mortalium delicia . Hanc vitæ methodum observarunt primi Christiani , qui ad centesimum annum usque , sani vivebant , pane , aquâ , aliquibusque fructibus contenti ; à vino tamen procul aberant quâ ab urbibus , carnis perinde ac fraudis nescii . Ab aquâ , omnia quæ è terrâ nascentur originem habent , nutriuntur ac conservantur . Hæc in diversas distinguitur species , pro ratione loci ex quo difficit , nulla est simplex , sed omnis habet quid heterogenei , & quadam vi pollet alterandi ; quod tamen est clarior , eò purior , quod purior , eò salubrior , citò enim per tenuissimos corporis meatus decurrens , impuras sanguinis falsedines secum rapit . Aquarum princeps est fontana , quæ per terræ poros transcolata , ex limpidâ versus orientem scaturigine inter lapides & saxa tandem erumpit . Tales sunt fontes qui Urbem Remensem investiunt , quarum aquæ orienti Soli expositæ ex sublimibusque montibus diffuentes , undique saluberrimas Remis aquas offerunt , vinis suis forsan non minus estimandas . Ab eâ plurimum deflectit fluvialis , quæ in Sillerianâ palude stagnans , non per glareas , sed per limosas terras fluens , viscidas excipit partes , longoque , quem postea emetitur cursu , insalubres terras lambit ex ripis , magnum stomacho , visceribusque proferendas negotium . Omnium pessima est putealis , quæ inter cretarum cryptas ortum sumens , de saturnoque imperfecto participans , ventriculum flatibus agitat , & gravat , chilosim turbat , cruditatesque in visceribus congerit , unde obstructiones in diversis partibus & præcipue in glandulis oriuntur , quæ ob acrimoniam humoris saturni immaturi naturam redolentis , tumores strumosos producunt , quorum abominandum semen semel receptum , detestandum & incurabile malum efformat . Tales igitur

fugiendæ sunt , aut vini Remensis antidoto emendandæ , usque dum Mafistratum curis , montium fontes aquas suas in Urbem transvehant .

#### IV.

**P**Ravitatem aquarum Remensium compensat in montibus qui Urbem ambiant suorum vinorum bonitas , quorum excellentia tanta est , ut supra cætera Galliæ vina prærogativam obtineat ; nec Burgundica illis temere præponas ; illa enim aut asperiora sunt , organum gustus integrè ferientia , aut ab effectis eorum principiis vix vellicatur , adeo ut minimâ aquæ quantitate irrrejectâ fatuum appareat , cum vinum Remense ambrosiâ suâ palatum blandè titillans , gustum & odoratum eodem momento mille voluptatibus fascinet , nec aquâ ejus prosternantur vires , quin imò , ut sanitati , sic & palato delicatori magis arridet . Color adamantinus tanto fulgore oculos percellit , vel rubinis illorum retinam jucundè delectatur , ut è lagenis , peritâ tractatis manu , distillans , illam quasi radiis solaribus afficiat . De illius odore nullus dignè loqui potest , cum languentes erigat vires & omne fragrans suavitate superet ; si illo vacuam Anus Phædri reperiisset amphoram , quâm meritò exclamasset , postquam illud totis traxisset naribus , ô suavis anima ! qualem te dicam bonam ante hac fuisse , tales cum sint reliquæ . Talia sunt Verzenaica , Silleriaca , Malliaca , Tailliaca , & alia ejusdem tractus quæ montis Remensis in alias vinofas Galliæ colles gloriam constituunt . Verum si palmam supra cætera vina obtineat vinum Remense , si in cyathis subfilliens adamantis fulgorem imitetur , cave ne assumptum adamantis toxicum redoleat , talia enim gulæ blandimenta sæpè sæpius absque sanitatis , & vitæ detimento non bibuntur ; nam spiritu volatili sulphureo non tantum motus spirituum inordinatos concitat , unde cephalalgia , furiales somni , vigilia , linguæ scabrities , sed & sanguinis effervescenciam , & febrile incendium accedit ; consuetus meri usus flexibilitatem fibrarum ad digestionem , & humorum subactionem necessariam tollit , unde cruditates , quibus meri potatores obnoxii sunt , ructus , ventriculi dolor oriuntur , in intestinis tormina , stranguriæ in vesicâ , calculi in reñibus , in abdomen hydrops , in artibus paralisis , in nervosis membranosisque partibus puncturæ arthriticæ & contracturæ , quotidiano meri usu gignuntur . Uno verbo si in ore distillando mero voluptuosè delectantur , in eorum visceribus retento , igne depascente comburuntur , & ut aquæ commixtum sanitatem procurat , sic purum assumptum morborum ilindem parit : qui igitur vino diluto utitur , qui aquæ cretaceam cruditatem vini balsamo emendat , sanitatem suam amat & infinitis se extricat doloribus , hernias , broncoecles , strumas tristes aquarum Remen-

suum effectus fugat. Quid dicam, vinum dolosus est amicus, ancesque Protheus, qui bonum præsens exiguum, malum emergens gravissimum, vitam quidem alacriorem, sed breviorem præstat. Idem producit corpori quod calx ad radicem arboris conspersa, quæ fructum quidem accelerat, arborem autem perimit; ita vinum si aquâ non diluatur, spiritus & facultates erigit, mortem verò maturat.

## V.

**V**ULTIS igitur beari, sanitatem perfectam frui, aut illam assequi, exoptatis, à voluptuosis mensarum dapibus recedite. Merum ut gratum palato venenum fugite; quippe ut intemperantiae culpam pœna premit comes catenata morborum series, aut tam merita quam immatura mors, sic potius cibique frugalitate messem optimam metunt, roburque corporis & animi colligunt sobrium. Aqua pura, quâ primi parentes tandem vivebant, nisi extra urbem è fontibus petita, non vobis consultetur; domestica enim impuris cretæ corpusculis impregnata, vos, vestramque progeniem ad detestandos incurabileisque affectus disponeret; sed à mero etiam discedite, quod sub voluptatis sensa infusa mortis in vestris visceribus dispergeret semina; at merum cum aqua confundite: ex legitima utriusque mixtione cretæ malignitatem vinum potens destruet, igneumque vini calorem aquæ frigiditas extinguet, suam in mero cruditatem naufragia deponet aqua, suam in aquâ masculam luxuriem vinum moderabitur. Inde fieri potus gustui gratus, stomacho jucundus, universo corpori familiaris. Primis machinæ nostræ staminibus vini Remensis potentia adversatur, illius calore rigent, crispantur, valorum diameter immunitur, liquorum motus torpet, & vitæ functiones imperfectæ fiunt, cum, quando aquâ diluitur, villorum adaugeantur vires, eorum flexilitas, & ad oscillandum proclivitas conservetur; vasa facilè permeat, partes solidas ad triturationem flectat, fluidas ad motum & fermentationem tranquillam adducat, ciborum appetentiam, digestionem, & excrementorum ejectionem promoveat. In taliter viventium vultu, color quidam eximus sanitatis fidissimus comes nitet, mens ipsa alacris, suum vigorem veluti transfundit in corpus, omnibus vitæ munis optimè comparatum; nullus molestiæ, nullus doloris locus, hos ne senectus quidem, quæ frangit omnia, solvit. In ipso ætatis portu vegetissimi apparent; cum experientiâ quotidiana constet ebrios & meri potatores citò ad senectutem, omnium ferè morborum comitatu fractos, pervenire. Hinc juvenes morbis senuum, lethargo, apoplexiâ non nunquam corripiuntur. Hi pulmonum labe, illi icterô, isti hydrope, miserè terminantur. Quid igitur inde concludendum? an dionysiacam cænam laudibus extollemus? an merum, lymphato-

anteponemus? minimè, sed naturæ Interpretes & Ministri veritatem Remis declaramus, Concubibus nostris sanitatis Scientiam significamus. Aquam fontanam mero præferendam esse testamur. Putealem verò nisi vino commixtam interdicimus, sed merum, ut omnium ferè dolorum causam prohibemus. Post hæc homines, seu potius amphoræ diu nocturnæ sedeant ad pocula, hesternæ cœvalentiae novam adjicientes, crapulam crapulâ discussuri. Hilarem hanc insaniam condemnamus, nam non tantum nimia vini quantitas mortem accelerat, sed meri quotidianus potus etiam affectionum pravorum cohortem feriùs oxyüs accersit.

*Ergo Vinum aquâ dilutum mero salubrius.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. NICOLAUS DE MAILLY*, antiquior  
Scholarum Magister, & Professor Antonianus.

*M. GERARDUS LE FILZ*, Professor  
Antonianus.

*M. JACOBUS BERNARD*, Professor  
Scholarum, Consiliarius Medicus Regis, Decanus &  
Praes.


*M. SIMON HEDOUIN*, Professor  
Scholarum.

Afferebat Remis *HENRICUS JOSEPHUS  
BERNARD* Remus, Artium Magister  
& Medicinæ Baccalaureus,

Anno R. S. H. MDCCXXIII.

REMI S,

Apud *N. POTTIER*, Typographum & Bibliopolam,  
via Sancti Stephani, ad Insigne Leonis.



67

DEO OPTIMO MAXIMO;

VIRGINI DEI-PARÆ,

ET S. LUCAE MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

*Quodlibetariis agitanda Disputationibus in Antonianis  
Medicorum Remensium Scholis, die Jovis 19. Maij  
horâ octavâ matutinâ.*

Clarissimo Viro D. M. GERARDO LEFILZ,  
Doctore Medico, & Professore Antoniano, Præside.

*An ex solâ Urinarum inspectione, morborum omnium  
cognitio, & curatio.*

I.



N I Q U I T A S ac impostura mundo coxtaneæ,  
sempèrque ab omni ævo quasi in fatis, potiorem ho-  
minum partem alteri ludibrio fusse. Has frauda-  
tionum officinas excitat scelerata callidiorum habendi  
cupiditas, fatuus sovet infimæ plebis stupor, promovet  
quandòque insipida primorum credulitas. Veterum  
oraculorum imposturas, augurūm & aruspīcūm ex  
avium volatu & extis animantium vaticinantium fraudes quid com-  
memorem? Quid fatidicarum veterarum antiquas fabulas, hariolorum  
que vanitates, qui per aquam, speculum, cibrum, ungues, asini caput  
divinantes mundum diù dementarunt? Quid astrophilorum de cuiuscun-  
que vitâ, morte, sanitate, moribus, fortunâ ex vario astrorum cons-

A